



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Salvtatio. Memoria Iosiae in compositione odoris facta opus pigmentarij: In
omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio
vini. Eccli. 49. 1. &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CONCIO
HABITA IN
TRANSLATIONE OSSIVM
 PATRIS BALTHASSARIS ALVAREZ
 pijsimæ memoriæ ad Ecclesiam Socie-
 tatis IESV Villa-gartiensem.

SALVTATIO.

MEMORIA IOSIAE IN COM-
positione odoris facta opus pigmentary.
In omni ore quasi mel indulcabitur
eius memoria, & ut musica in
conuiuio vini. Eccli. 49.

I. &c.



CONVENIMVS hodierna die
 in Ecclesiam hanc, ad recens
 celebrandas exequias celebris
 illius viri & gloriosæ, ac fœ-
 licis memoriæ P. Balthassaris
 Aluarij, Religiosi Professi no-
 stræ Societatis IESV et si e-
 nim eam ipem habeamus, quòd felix eius anima,
 diu iam fruatur æternis gloriæ bonis: (quod no-
 bis pollicentur rara virtutis exempla quæ nobis
 in vita sua dedit) Nihilominus, ve sanctæ Ecclesiæ
 matris nostræ constitutionibus pareamus, no-
 stræque obligationi satisfaciamus, Defunctorum
 Officium persoluimus. In quo ego minime &
 indi-

indignissimus omnium eius filiorum, sermonem de tali viro & in tali occasione habiturus, ad rem esse existimaui Sapientis verba initio proposita: Memoria Iosæ, &c. quibus omnes sui populi filios exhortabatur, vt memores essent gloriosi sanctique illius Regis Iosæ, qui à Deo in bonum suæ gentis electus, excellentia adedè & stupenda opera in suis diebus fecit, ideoque Sapiens illis dicebat: memoriam hanc debere esse compositionis instar ac mixturæ ex varijs odoriferis, & aromaticis rebus per manum præstantissimi alicuius artificis conditæ, quæ suauissimum odorem continuè exhalet: eritque hæc memoria in ore omnium hominum, qui de ea loquentur, quasi mellis fauus sapidissimus illis ac dulcissimus; & quasi suauissima & ordinatissima musica in auribus existentium in deliciosissimo conuiuio. Aptantur autem hæc verba pulcherrimè excellentissimo huic viro, cuius ossa in Sarcophago illo inclusa habemus. Quemadmodum enim apprimè illi competit nomen Iosæ, quod in hebræo *ignem Domini* significat: ita etiam facta, & quæ de altero illo Iosia dicebantur, aptantur illi commodissimè. Ignis enim Domini fuit iste magnus eius seruus: siquidem ignem verbis suis, ignem suis operibus, & ignem tota vita sua in alijs accendebat. Bene itaque ei aptantur verba, quæ de altero illo Iosia sunt dicta, & quidem nominatim hodierna die in hac exequiarum, quas hodie persoluimus, solennitate: id autem est in hac concione à nobis ostendendum, & ad id tantquam ad propositum scopum illa dirigenda. Ad quod tamen præstandum diuinâ gratiâ nobis opus

opus est, pro qua impetranda recurramus pro more ad Virginem sacratissimam, cui felix hic vir fuit pijsimè addictus, & per quam singulares gratias, & fauores ab ipso Domino accepit. Aue Maria, &c.

INTRODVCTIO.

MEMORIA IOSIAE, &c. stupendum est strictum illud' vinculum vnionis & amoris, colligatio illa & amicitia, quam Deus in omnibus creaturis aliquam similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam habentibus posuit; admirandus quoque ille quasi naturalis affectus, quem omnes habent, vt sint simul, nec aliæ ab alijs separentur: Ad cuius rei probationem omittamus creaturas illas, quæ sensu carent; imò & eas, quæ sensu quidem vtuntur, sed sunt irrationales: & loquamur solum de ijs, quæ ratione ducuntur, in quibus id quod diximus, eminenter apparet: nisi deprauata voluntas id impediat. Nam quemadmodum Ratio iuuat ad similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam cognoscendam: ita etiam conducit plurimum ad hanc vnionem conseruandam. Hinc affectus ille naturalis adeò vehemens oritur, quo filius cupit esse apud suum parentem, & parens apud filium; frater apud fratrem; amicus apud amicum; & conterranei cum suis conterraneis; fidelis seruus cum suo hero, & subditus cum humano & clemente suo Domino; ac denique quicumque maiorem inter se habent conuenientiam, & aliorum ab alijs subordinationem: & eo vsque affectus